



**B**onifacius natus est Basileæ patre Iohanne Amerbachio typographo, qui artem excudendorum bonorū authorum inter primos Basileæ exercuit, matre uerò Barbara Ortenbergia, anno 1495. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, atq; cum fratribus Brunone & Basilio (qui eum ætate antecedeabant) præclaram eruditionem nactus fuit. Non enim tantum publicas lectiones academię uisitabant, uerum etiam domi Conone Noribergensi, qui in Italia Græcas literas didicerat, priuato præceptore magno cum fructu utebatur. Itaq; factum ut Bonifacius 1513 omnium applausu liberaliū artium Magister crearetur. Erat eo tem-

pore Erasmus nouus hospes Basileæ, is Bonifacij moribus plurimum delectatus, eum dilexit, & postea inter summos amicos semper habuit. Cum hoc modo Bonifacius artium & linguarum fundamēta in patria feliciter iecisset, exteras quoq; nationes inuisit, atq; in primis in Italia & Gallia Iurisprudentiæ magna diligentia incubuit. In ea quoq; ad eò profecit, ut Auinione magno Iureconsultorum consensu Legum Doctor constitueretur. Cum hac ratione multarum rerum magnam eruditionem sibi comparasset, atq; rara animi prudētia & uitæ integritate insignis esset, post aliquot annos Basileam redijt, & Leges ciuiles publicè in academia enarrare iussus fuit. Id quod ipse magna laude per annos uiginti & amplius præstitit, & omnium doctorum ora & uultus in se conuertit. Nam non modò nostros Iureconsultos eloquentia & eruditione uicit, sed etiam cum ueteribus certasse uideri potest. Itaq; multoties occasio oblata emergendi, & ad altiora respirandi, præsertim cum à quibusdam principibus ad consilia, & etiam in Italiam studiorum matrem, ad leges publicè exponendas. liberali stipendio proposito uocaretur.